

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

C. Sulpicii Apollinaris Periocha.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

TEREN. HEAVTONTIMORV. 54

RAECA EST MENANDRV, ACTA
VDIS MEGALENSIB. L. CORNELIO
ENTVLO, L. VALERIO FLACCO
AEDILIB. CVRVLIB. EGIT AMBIVIVS
VS TVRPPIO. MODOS FECIT FLAC-
CVS CLAVDI. ACTA PRIMVM TI-
BIIS IMPARIBVS, DEINDE
DVABVS DEXTRIS: A-
CTA ETIAM TERTIO,
TI. SEMPRONIO, M.
IVVENTIO.
COS.

C. SVLPICII APOLLINARIS
PERIOCHA.

*N militiam proficisci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus*

I

pater:

Animiq; sese angebat, facti pœnitens.

Mox ut reuersu' est, clam patrem diuora-

titur

Ad Clitiphonem, is amabat scortum Bacchidem.

Cum accerferet cupitam Antiphilam, Clinia,

Vt eius Bacchis uenit amica, ac seruolæ

Habitu gerens Antiphila. factum id, quo patrem

Suum celaret Clitipho. hic technis syri

Decem minas meretriculæ aufert à sene:

Antiphila Clitiphonis reperitur soror.

Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

PROLOGVS

PROLOGVS.

E cui sit uostrum mirum, cur partes seni
 N Poeta dederit, quæ sunt adolescentium:

Id primū dicam: deinde, quod ueni, eloquar.
 Ex integra Græca integram comœdiam
 Hodie sum acturus Heautontimorumenon,
 Duplex quæ ex argumento facta est simplici.
 Nouam esse ostendi, & quæ esset. nunc, qui scripserit
 Et cuius græca sit, ni partem maxumam
 Existimarem scire uostrum, id dicerem.
 Nunc, quam ob rem has partes didicerim, paucis dabo.
 Oratorem uoluit esse me, non prologum:
 Vestrum iudicium fecit: me actorem dedit.
 Sed hic actor tantum poterit à facundia,
 Quantum ille potuit cogitare commode,
 Qui orationem hanc scripsit, quam dicturū sum.
 Nam quod rumores distulerunt maleuoli,
 Multas contaminasse græcas, dum facit
 Pauca latinas: factum hic esse id non negat,
 Neque se id pigere, & deinde facturum autumat.
 Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
 Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
 Tum quod maleuolus uetus poeta dictitat,
 Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
 Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
 Arbitrium uestrum, uestra existimatio
 Valebit. quam ob rem omnes uos oratos uolo,
 Ne plus iniquum possit quàm æquum ratio.
 Facite, æqui sitis, date crescendi copiam,

NOUARUM